



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

LXIX. Pro necessitariis Locorum Terræ S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

Decretum in  
causa inter  
Carmelitas  
Siculos, &  
Romanos.

Confirmatio  
relatorum  
Decretorum.

alisque Ecclesiasticis sententiis, censure, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium prepositorum consilio, omnia, & singula Decreta preinserta ab ipso Joanne Priore Generali edita, ut preteritur, auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet inter venerint supplemus; salva tamen semper in premissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

Clausula.

§. 4. Decernentes easdem presentes literas, ac Decreta hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit inviolabiliter, & inconcussè observari; sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit, Provinciæ, & Ordinis prefatorum, etiam Jumento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earundem presentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XI. Februarii MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

LXVIII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcop. & Reg. super familia Cœnobii Montis Sancti Carmelitarum de Urbe, & Tabella Versiculorum.

Hujus Pontificis Const. ed. 1692. Oct. 11. P. 2. extant Decreta circa studia, & Const. ed. 1698. Aug. 30. P. 8. agitur de quatuor Assistentibus Generalibus.

Dat. 15. Febr.  
1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet -- In Causa Ro-

mana verten. inter Patres Carmelitas Primi Instituti Siculos ex una, & Patres Romanos, & Status Ecclesiastici ejusdem Instituti partibus ex altera, de, & super assignatione familie in Conventu Montis Sancti de Urbe, necnon Tabellæ, seu exercitio munerum versiculorum, & Cantorum in Choro, ac Lectorum in Mensa &c. Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium preposita, Partibus ipsis informantibus, referente Eminentissimo Petruccio, censuit, ac decrevit, super prædicta assignatione Familie servandas esse Constitutiones Ordinis part. 1. capit. 5. s. ultimo, non obstante voto Commissariorum, prout presentis Decreti tenore servari mandat, & præcipit. Quo vero ad Tabellam, seu exercitium Munerum versiculorum &c. Stetit in Decisis, per ipsam Sacram Congregationem sub die 29. Julii 1689. Romæ 28. Novembris 1692. -- G. Cardinalis Carpineus A. Altovitus Secretarius --

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii Priores, & Fratres status Nostri Ecclesiastici Provinciæ Montis Sancti Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiti summopere desideret; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censure, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absoluras fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in premissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem presentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in premissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicæ Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscat. die XV. Febr. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Confirmatur Constitutio Urbani VIII. pro necessitatibus locorum Terræ Sanctæ.

Hæc Const. ultimo confirmata fuit ab Alex. VIII. Const. ed. 1689. Nov. 18. P. 1. Et postea a Clem. XI. Const. ed.

Preces FF.  
Status Ecclesiastici

Confirmatio  
relati Decreti.

Clausula.

LXIX.

Dat. 24. Febr. 1696. An. 5.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Salutaris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani Generis Redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices (licet immeriti) gerentes in Terris inter multiplices, gravissimasque Apostolicæ servitutis curas in eam præcipuè Pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti, & tam salubris mysterii monumenta, quæ in Civitate Hierusalem, & locis circumvicinis sunt, conserventur, & omni qua fieri poterit, majori honorificentia recolantur.

Ab Urb. VIII. inuncti fuit Ordinarius locorum, & Generalibus Ordinibus, ut bis in anno citarentur exponi necessitates dd. Locorum.

§. 1. Cum itaque se. re. Urbano Papæ VIII. Prædecessori Nostro alias, exposito, quod Ecclesiæ, & alia loca pia in Civitate Hierusalem, & aliis locis Terræ Sanctæ existentia fere diruta erant, & quæ adhuc ibi existebant Monasteria ære alieno ob impiam Turcarum, Hæreticorum, & Schismaticorum Tyrannidem, & pro Sanctæ Fidei Catholicæ in eisdem locis servatione contracto admodum gravata reperiebantur; Idem Urbanus Prædecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis & aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus, & singulis quorumvis Ordinum, ac Congregationum, & Institutuum regularium Generalibus commiserit, & mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet Adventus, & Quadragesimæ temporibus tam per verbi Dei Prædicatores in suis Sacris Concionibus, quam in actionibus, & functionibus publicis necessitates eorumdem Sacrorum Monumentorum Populo proponi, & commendari curarent, & facerent, & alias prout in ejusdem Urbani Prædecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 3. Februarii 1634. expeditis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto haberi volumus, uberius continetur. Et sicut pro parte dilecti filii Hieronymi Roavuls Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum, seu de Observantia nuncupatorum professoris pro Gallia Commissarii Generalis ejusdem Terræ Sanctæ Nobis nuper expositum fuit, ipse, quo prædictæ Urbani Prædecessoris Literæ, quæ a re. me. Innocentio X. & Clemente etiam X. Romanis Pontificibus Prædecessoribus pariter Nostri confirmatæ fuerunt, exactius observentur illas per Nos pariter confirmari, & innovari desideret: Nos eorumdem Sacrorum Monumentorum servationi, & mantentioni consulere volentes, de ven. fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotii Propagandæ Fidei præpositorum consilio, prædictas Urbani Prædecessoris Literas Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus pariter, & approbamus, illasque innovamus, & observari mandamus.

Preces Commissarii Terræ S. in Gallia pro confirmatione d. Constitutionis ab aliis Pontif. confirmatæ.

Confirmatio Constitutionis Urb. VIII.

§. 2. Volumus autem, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, prædicti in relatione status suarum Ecclesiarum, quando visitabunt limina Apostolorum facienda, referant se prædictis Urbani Prædecessoribus, & præsentibus Literis Nostri paruisse, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Clausulæ.

§. 3. Volumus insuper, ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Febr. MDCXCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Confirmantur Privilegia Pauli V. & Urb. VIII. concessa Collegio Scriptorum Parisien. cum concessione facultatis suscipiendi Ordines non servatis Interstitiis.

Laudatæ Constitutiones hic referuntur quarum prima edita fuit 1617. Maii 27. Pont. 12. altera vero 1543. Jan. 11. Pont. 20. Constit. ed. 1692. Mart. I. Pont. 1. concessa fuit Collegio S. Ant. Civit. Coscan. facultas conferendi gradus Scholasticos. Et Clem. XI. Constit. edit. 1701. Maii 30. Pont. 1. erigitur Collegium Urbinaten. cum pluribus privilegiis.

LXX.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum felic. record. Paulus Papa V. Prædecessor Noster Collegio Nationis Scriptorum Parisien. ejusque Superioribus, & Alumnis nonnulla Privilegia, facultates, gratias, & indulta concessit per quasdam suas desuper in simili forma Brevis expeditas Literas tenoris, qui sequitur, videlicet.

§. 1. PAULUS PAPA V. Ad futuram rei memoriam. Dilectos filios Alumnos Collegii Nationis Scriptorum Parisienfis specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus dilecti filii Nostri Matthæi tituli Sancti Honuphrii Presbyteri Cardinalis Barberini nuncupati Regni Scotiæ apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ejusdem Collegii Superioribus ut arbitrio venerabilis fratris Guidonis Archiepiscopi Rhodiensis moderni, & pro tempore existentis Sedis prædictæ in Regno Franciæ comorantis Nuncii in privato dicti Collegii Oratorio ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo, & ornando ab omnibus domesticis usibus libero, per ordinarium Loci prius visitando, & approbando, Sacrosanctum Missæ Sacrificium in sua, ac Alumnorum, & aliarum personarum dicti Collegii præsentia celebrare, seu celebrari facere, necnon eisdem Alumnis, ut absque Literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, ac etiam sine titulo Beneficii Ecclesiastici, vel Patrimonii, sed ad titulum tantam paupertatis a quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite gratiam, & communionem Sedis prædictæ habente, in propria Diocesi residente, vel in aliena Diocesani loci consensu Pontificalia exercente per eos eligendo Clericali Characterè insigniri, & ad quatuor minores, necnon Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordines in temporibus ad id a Jure statutis, dummodo tamen proprio examine ad id reperti fuerint idonei, & nullum eis aliud Canonicum obset impedimentum, necnon testimonio Rectoris, & Superiorum dicti Collegii commendantur, specialemque ab ipsis licentiam obtineant, ac servatis aliis servandis promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere, & licite possint, & valeant auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, & indulgemus, ac tam Antistiti, ut præfertur, eligendo, quam Alumnis præfatis licentiam desuper impartimur, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel

Dat. 27. Apr. 1694. An. 3.

Constit. Paul. V. qua concessa fuit facultas celebrandi in Oratorio privato, & suscipiendi Ordines a quocumque Antistite ad tit. paupertatis, & sine dimissoriis ordinari.

specialibus